Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2215
Quelle:
Copyright:

Canones dictos *Apostolicos*, et in Concilium *Illiberitanum* (d' Elvire) habitum circa an. 300. omnem Ecclesiae doctrinam et disciplinam late pervagantia, et bonae frugis uberrima.

Volumen II. Folior. 408. praemissis iterum Indicibus commentatur eodem modo in Concilia *Arelatense I. Ancyranum, Neocaesareense, Laodicenum, Nicaenum I.*

Volumen III. Folior. 390. Concilia *Gangrense, Antiochenum, Sardicense, Carthaginiense, CPolitanum I. Valentinum, Taurinense, Carthaginiense* II. III. IV. exequitur, quibus si Concilia in supra memorato *Dissertationum Tomo* discussa addas, magnam lucem omni Rei synodicae primorum VII. Seculorum a *Thomassino* hisce suis observationibus affundi lubens fatebere.

DCCCCXXXIV.

U. 521 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 385. 4. non una manu perscriptus, et rubricis distinctus totus paene *Gersonianus* est, et e Concilio *Constantiensi* a Theologo nostro *Petro Zach de Pulka Viennam* devectus videtur. Indicabo singula ad Editionem *Operum omn.* 1706. f. quae *Antverpiam* quidem praefert ad captandam benevolentiam, interim *Amstelodamum* pertinet. Comparet igitur I. *Prima propositio domini Cancellarij parisien. facta Constantie die iouis de vespere. 17. octobr. vigilia beati Luce ewangeliste 1415. in loco publice Sessionis super materia IX. assertionum* (Johan. Parvi) *per ipsum iudicialiter denunciatarum.* Init: *Estimo me beatum aput te* &c. ut Edit. T. II. *col.* 330. Definit: *per quem veritas et gratia facta est Ihesu christo qui est deus benedictus in secula Amen.* Redit hic Tractatus *fol.* 43.

Fol. 10. *Secunda Propositio Gerson Cancellarij Parysien.* Nempe: *Oportet hereses esse sicut apostolus* &c In Edit. T. II. *col.* 338. inscribitur *Alius Sermo* &c. Nobis definit: *velit esse Judex testis et pars &c.* Itaque Edita aliquot lineis procurrunt, quae, an pertinentes sint, nescio. Etiam hic Tractatus redit *fol.* 55.

Fol. 26. Discutitur Quaestio, an liceat a Pontifice in caussis Fidei appellare, aut illius judicium declinare, ut T. II. *col.* 303. Initium: *Queritur vtrum hec assertio sit catholica. Tam Jure diuinitus promulgato* &c. Folio praevio puro legitur: *Tradatur magistro P. de Pulka*, et ad ipsum Titulum minio: *Hoc scriptum a Cancellario parysien. Ego tuli.*

Fol. 32. *Secuntur duodecim considerationes super spirituum probatione. Anno* MCCCCXV. *die VIII. Augusti in Ciuitate Constan. dum generale Concilium illic esset, extracte ab Okam per Cancellarium Parysien. Jo. de Gerson.* Ineunt: *Probate spiritus si ex deo sunt* &c. ut. T. I. *col.* 38. ubi tamen ad calcem pro *die VIII. Aug.* ponitur *in die sancti Augustini,*